



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetæ Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XC. Domine, refugium factus es nobis, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Quàm breuis annorum numerus sit, quæso, memē-
Quorsum à te frustra conditus esset homo? (to,
Viuorum è numero, cedò, cui mors parcat' auara?
Vitamq; è stygiis quis reuocauit aquis?
Iurasti ipse tuo Dauidi, fœdere pacto,
Hac ubi nunc pietas, qua fuit antè, tua?
Esto memor probri seruatorum, Ioua, tuorum,
Quod gremio excipitur comprimiturq; meo.
Afficit hoc inimica cohors tua nomina sancta,
Hoc plantas vncti lædere auetq; tui.
Sancta Dei bonitas benedicta sit omne per æuum,
Quæ iuuat ex animo hæc credere, dicat Amen.*

PSALMVS XC.

Domine, refugium factus es nobis, &c.

PErpetuò, Deus, es nobis arx, turris, asylum:
Quò fugimus tuti semper ab hoste malo.
Tu regnas sine fine, pater, sine origine, solus
Fundasti montes, astra, mare atq; solum.
Tu genus humanum pallentes mittis ad umbras,
Ac homines velut ex morte redire iubes.
Ante tuos oculos anni sunt mille breuis lux,
Præteriti fuit vt temporis vna dies.

Tempor

Tempora labuntur, torrentis fluminis instar,
Somnia ceu fugiunt, ceu rosa verna cadit.
Ceu gramen modo suaue virens, quod falce resectū
Aret, ut amisso planta vigore perit.
Ira tua in causa est, quod tam cito labitur atas
Nostra, tuusq; furor nos rapit ante diem.
Ante tuos oculos scelera omnia nostra reponis,
Et que nos fugiunt crimina, nota tibi.
Bis septem lustris clauduntur tempora vite,
Vix duo, quando fauent, addere lustra solent.
Et tamen hoc cui breue ver, bene cum cadit, est nil
Quam dolor & mæror, fletus & anxietas.
Nam fugiunt anni, labuntur tempora vite,
Sic ut iter penna præpete carpit avis.
Quis Dominū credat tam iustam cōcipere iram?
Quis sibi & à tanto rite furore cauet?
Tu doceas hora memores nos esse supremæ,
Mi Deus: ut sapiens cor tua iussa colat.
Ab Deus, illustres ad nos conuertito vultus,
Propitius seruis esto, lebona, tuis.
Manè nouo repleat nos gratia larga vicissim,
Ut celebrent laudes carmina nostra tuas.
Latificato iterum famulos opprobria passos,

Quos

*Quos tanto spacio tristia fata premunt.
Atq; tui famuli videant tua facta stupenda,
Et tua sit pueris gloria nota tuis.
Sit nobis bonus ac mitis clemensq; Iehoua,
Nostra quod instituit dextraq; firmet opus.
Det quoq; successus faciles, pia cœpta secundet,
Ut celebrent cuncti laude & honore Deum.*

P S A L M V S X C I.

Qui habitat in adiutorio altissimi, &c.

*C**ui residere datur sub tegmine Numinis alti,
Quem tegit omnipotens propitii umbra Dei.
Hic Domino dicit: mea spes, fiducia, rupes,
Unde mihi auxilium, vita, salusq; venit.
Eripit ille etenim laqueo venantis acerbo,
Atq; venenata liberat ipse lue.
Ille suis pennis te conteget, illius ala
Semper erunt portus perfugiumq; tibi.
Tutus eris, tibi dum pietasq; fidesq; salusq;
Illius, & clypei & presidii instar erunt.
Ne te terrificent cœca ludibria noctis:
Ne feriat media in luce sagitta volans.
Ne timeas dira in tenebris contagia pestis,*

A a

Pernis